et trium cubitorum altitudinis. Multifariam et
multis modis una eademque nostrae salutis sacra
menta praefigurantur. Namque idem apostolorum
quae apostolici quibus boves mare portantes designantur.
Designantur etiam per bases quae postea dicitur in decem luteribus
preparatae quomodo ipsi luteres eiusdem lavacri spiritalis
cuius et mare typum gerebat. Siquidem ut verba dierum
narrant omnia in eis quae in holocaustum oblaturi erant
lavabant. Holocaustum autem domini generaliter omnis
electorum multitudo potest intellegi. Quae iuxta vocem
praecursoris baptizata est ab ipso in spiritu sancto et igni. Sicut
ergo sacerdotes qui in mare lavabantur formam expri
munt eorum qui per baptisma efficiuntur summi consor
tes sacerdotis qui est in domino Iesu Christo ita etiam holocausta
eorundem figuram apertissime praetendunt. Cum post ablutionem
baptismi gratia spiritus sancti implentur. Lavatur namque in
lutere hostia cum quis fidelium aqua baptismi perfunditur.
Offertur vero in holocaustum cum per impositionem manus
episcopi donum spiritus sancti accipiat. Philippus evangelista cum
praedicasset in Samaria. Quid nisi in lutere templi hostias
domini lavabat. Sed quia necdum in quemquam eorum spiritus
descendebat. Sed baptizati erant tantum in nomine domini
Iesu. Velut ablutae hostiae necdum ad sacrificia altaris
ignem pervenerunt. At cum missi illo Petrus et Iohannes inpo
nebant baptizatis manus et accipiebant spiritum sanctum. Lo
quebanturque linguis. Iam ad ignem altaris pervenerat